

Sammelbd

Reise: Jhd

13. Altk. 13. Jhd.

Continentur hoc volumine .

1. D. C. Chemnitij Quæstiones in Genesim. X disp.
It. V Programmata in qbusdam g'troffis locis Seræ.
2. D. Chemnitij Disp. de Arbore vitæ & N. Hedeng.
3. D. Chemnitij Disp. de Arbore scientiæ boni et mali
& prologo Im. Trillæm.
4. Sauberti Disp. de Statua salis et Lotthi ex Sodoma
egressu Gen. 19. & Muller.
5. M. I. Swijchnuth Disp. IV. de Ligatione Isaacj.
6. M. Linbontanz Disp. de Rachelis deliciis Duclain.
7. Swijchnuth de Circumcisione Zipporæ & Moim.
8. M. Wapala de Vocula Mar. Exod. 16. & Lindemann.
9. M. Vicij de Urin atq; Tummim & Linbontanz.
10. Swijchnuth de Hirco emissario populi peccati in desertum
baulante Lev. 16. R. M. Xöfö.
11. D. G. Cælixij de Usuris & Mylius.
12. D. Chemnitij Disp. de Libello repudij R. Fulda.
13. M. Pfeifferi Disp. de Festis Ebraeorum. & Schumann.
14. M. Wildij de Enigmate Samsonis & Lindemann.
15. M. Tirovij de Sacris Judæorum vinculis in specie de
Voto Sephtæ, de Statua salis (3) de Scypho Josephi
& Udening.
16. M. Baumain de Voto Sephtæ & M. Swijchnuth.
17. C. Schraderi Programma de voto Sephtæ.
18. M. Vöser de Dagone Philistæorum idolo & Wöttinger.
19. M. Crausij de Succoth Benoth idolo. & Lyr.
20. D. E. Gerhardij Spectrum Encloream ca. 1. Sam. 28.
& Huhn Amstelædam.

21. M. Hederij disp. de Scissione vestium, Ebraeis
ac gentilibus usitata, ^{Gothofr.} Guntherus Schultesig.
22. M. Ludovici disp. II de Templo Salomoneo, quomodo ubi,
a quo, quibus et quomodo constructum fuerit & Binder.
23. D. Meisnerij disp. de Curriculo vitae Salomonis & N. v. l. k.
24. D. Chemnitij de Salute Regis Salomonis & M. Peterfon.
25. M. de Clerice Epulum Belschazar fatali Scia illustre,
Cap. V. Dan. & Kirchnaier.
26. I. Martini, de Libris Scripturae perditis, & M. Beckmannij.
27. D. E. Gerhardi de Libris Deij & M. Praetorius.
28. Frischmüllh de Melechaeli ex Jerem. 44. & König.
29. Sauberti disp. in quadam controversa S. Scripturae
loca & Frischmüllh
30. M. Goëzij de Redemptore Ebraeorum & Mezelius, H. de
vindice Sanguinis pro et de Redemptore Unam disp. 2da & Frischmüllh.
31. Sauberti de Messia ejusq. insignibus qualitatibus et attributis
ad Vaticanum des. 9. p. 6. 7. & Schröderus.
32. D. Niemanni, de Jesu mortuo et sepulto Es. 53. 9. & Boily.
33. Frischmüllh Harmonia Michaeae V. 1. et Matth. 11. 6. & Angelin.
34. Frischmüllh de Nativitate Messiae a Mich. V. 1. & Kirb.
35. Frischmüllh de manuum pedumq. Messiae in ejusdem crucifixi
one, perforatione ex Gal. 22. p. 17. & Maij.
36. M. Crausij de Iosepho et Maria Salvatoris Parentibus
& Wright.
37. M. Letschij de Cunabulis Christi & Gerhardt.
38. M. Goëzij de Praesepio Christi & Meliorius. Disp. II.
39. Olearij disput. p. lic. de Lumine gentium Luc. 11 sub Epist. D. Gerhardt.
40. Frischmüllh de Sabbato Deuteroproto ex Luc. 6. p. 1.
& Crausius.

41. Frischmühl de Sacra Scriptura in Legem Prophe-
tas et hagiographa divisione R. M. V. v. d. h. l. t. 3
42. D. Kunadij Diss. de Confessione Petri et eam secuta
Christi responsione ex Matth. 16. & plic. Neander.
43. Slevopti de Profelitis Iudaeorum Matth. 23. v. 15.
& L. Hermann.
44. D. Chemnitij Diss. de Decreto divino circa passio-
nem et mortem Christi & M. Kintlerus.
45. Posneri de Sudore Christi Sanguineo, utrum naturalis
fuerit: Diss. Physica & Buttner.
46. Posneri de Singularibus ac mirandis quibusdam que
in morte Christi in natura acciderunt, utrum à natura
fuerint & Bacius.
47. Goetzij de Osculo & Kempius.
48. Goetzij de Suspendio Iudae diatribe & Wameccius.
49. M. Freislebij de Titulo crucis Christi & Geory.
50. M. Schlemmij de Adoratione religiosa ac civili
gentilium. H. de acclamatione sarcastica. D. Ave Rex Iudaeorum
Christo iam crucifigendo exhibita. & Richardi.
51. M. Gressij de Cruce.
52. Frischmühl de Flebili Messiae in cruce pendentis, oem
tu ELI ELI LAMA SABAC TANI, ad off. Iudaeos & Winden.
53. D. Hildebrandi de Lacrymis Christi (2) D. Meisnerij
de Sanguine Christi. (3) D. Guenstedt de Vul-
neribus Christi (4) D. Frischmanna de
Sepultura Jesu. J. 53. 9.
54. M. Wonna de Cultu Simonis magi apud Romanos
contra Baronium & Poeschij.
55. Korban Bes Flammikadagch de Devastatione
Hierosolymae et templi sanctissimi historia,
& Julietis ipsis concinnata luna cum historia de vastationis
urbis Bethar et Turmalca.

56. Bosti de Ara ignoti Dei ex Actor. 17. v. 13. & Donna.
57. D. I. Musæi An velologia Apostolica ex Hebr. 1. p. ult.
pro Licent. Filsp. Olearius.
58. M. Boser Disp. Inaug. de Unico Jesu Christi Evangelio
à Paulo Aplo adph. dertmentes et d. p. rentes Anathematice
def. Cap. 1. Et ad Galat. p. 6. 7. 8. 9.
59. Bosij Exercitatio Philologica, in qua ostendit, YEUTE,
STKAS erodv nias 2 Timoth. 2. v. 22. perpetua exponi
novas vel novarum rerum cupiditates.
60. D. F. Gerhardi de Beatitudinis in Domino morien-
tium privilegio, ex Apocal. 14. p. 13. & M. Elligerus.
61. D. Sennerti Scrutinium Linguarum Orientalium:
Ebræo-Chaldeo-Arabico-Persico-Ethiopicæ: seratio
Mnematico inclusum. & Clodius.
62. D. Alb. Graueri Gistio: Quod multi etiam omni
exceptione eruditissimi viri, in S. literarum
interpretatione à via veritatis aberrare
videmus.

F I N. I S.



QUOD DEUS BENE VERTAT!
DISPUTATIO THEOLOGICA

De
**ARBORĒ SCIEN-
TIÆ BONI ET MALI,**

Quam
AUCTORITATE

Plurimum Reverendæ, Amplissimæ & Spectatissi-
mæ FACULTATIS THEOLOGICÆ in almâ
Salanâ;

PRO LOCO

In EADĒM ritè consequendo

Majorum More

Publicè ventilandam

Ad Diem 22. Septembris Anno M. DC. LII. proposuit

CHRISTIANUS CHEMNITIUS,
S.S. Theol. D. & P. P. ut & Ecclesiæ ibidem & Duce-
ceseos tum temporis Vice-Pastor & Vice-
Superintendens.

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO EXZLERN,

Crimmicia Misnico.

EDITIO TERTIA

JENÆ.

Typis JOHANNIS NISII,
ANNO M. DC. LXIII.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO,
Duci Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium, Comiti
Provinciali Thuringiae, Marchioni Misniae, Comiti de
Marcâ & Ravensberg, Dynastæ in Ravenstein;

Domino meo clementissimo,

GRATIAM, PACEM ET BENEDICTIONEM,
ab individuâ & Sacro-Sanctâ TRINITATE!

Serenissime ac Celsissime PRINCEPS, Domine Clemen-
tissime. De virtutibus Imperatoris Theodosii ita Theodoretus, libr.
V. cap. XXXVI. Ququam iste Imperator multis aliis virtuti-
bus eximiè decoratus erat, clementiâ tamen, vel maximè mansuetudi-
ne, animi tranquillitate, quæ nullis procellis agitari poterat, fide deni-
que sincerâ & spectatâ excelluit. Cujus rei certissimum argumentum
ostendam: Cum Rhoilas dux Scytharum, qui Nomadæ dicuntur, tra-
jecto Istro, cum ingentibus copiis Thraciam populari & prædas agere in-
ciperet; ac Constantinopolim urbem primariam obsessurum, & momen-
to temporis capturum, atque adeò solo æquaturum minaretur: Deus
fulminum jactu & facibus cœlitus demissis cum illum combussit, tum
universum exercitum penitus absumsit. Quæ eadem non sine laude in-
signis Pieratis, de eo restatur quoque Socrates, lib. 7. c. 42. Inter alia
de ista Barbarorum irruptione, & cœlitus lato auxilio scribens: Post ty-
ranni, Johannis, necem, barbari, quos ille ad auxilium sibi contra Ro-
manos ferendum accersiverat, in fines imperii Romani incursionem fa-
cere constituerunt. Quo audito, Imperator, uti solebat, istarum rerum
curam DEO commendavit: atque precibus se totum dedens, brevi,
quod in optatis erat, est consecutus. Primum illorum Dux fulminis i-
ctu interiiit: Deinde pestis subsecuta, maximam partem hominum, qui
ei parebant, è medio sustulit. Neque hoc satis esse videbatur; sed i-
gnis etiam de cœlo delapsus, complures eorum, qui supererant, absum-
sit. Quæ res barbarorum animis maximum iniecit timorem; non
tam propterea, quòd contra bellicosam Romanorum gentem arma fer-

ANNO M. DC. LXIII.

re

re ausi fuissent, quàm quòd Romanos à DEO præpotenti adjutos animadverterent. Proxima virtus, cui post PIETATEM Theodosium deditum fuisse legimus, CUSTODIA fuit & CURA VERÆ RELIGIONIS. Hinc ita pientissimus Imperator in literis ad Synodum Ephesinam: cum magnam omnium, quæ è Republicâ sunt, curam habeamus, tum verò maximam illorum, quæ ad pietatem RELIGIONEMque CONSERVANDAM pertinere arbitramur. Per ea namque cætera quoque bona hominibus supeditantur. Scripsimus proinde non ita multò antè de pietatis Vestræ Synodo apud Ephesiorum metropolim congregandâ; eaque Sacræ nostræ inseruimus, quæ instituto rei quàm maximè convenire censebamus. Cui SEDULITATI & CHRÆ conjunxit AMOREM LITERARUM. Nam ita IDEM de gymnasio literario, sive Constantinopolitanâ Academiâ, III. Kal. Martii, A. C. CCCCXXVI. editâ sanctione: Habeat auditorium specialiter nostrum, in his primùm quos Romanæ Eloqueutiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, decem verò Grammaticos. In his etiam, qui facundiâ Gracitatis pollere noscuntur, quinque numero sint Sophistæ, & Grammatici æquè decem. Et quoniam non his artibus tantùm adolescentiam generosam optamus institui, profundioris quoque scientiæ atque doctrinæ, memoratis magistris sociamus auctores. Unum igitur adjungi cæteris volumus, qui Philosophiæ arcana rimetur, duos quoque, qui Juris ac Legum formulas pandant. Ac Idibus ejusdem mensis aliâ editâ sanctione, eos, qui diutiùs in eadem functione meruissent, Comitivæ ordinis primi dignitate idem Imperator honorare voluit, hos scilicet, Græcorum Grammaticorum, Helladium & Syrianum, Latinorum Theophilum, Sophistarum Martinum & Maximum, Jurisperitorum Leontium: eodem quoque honore addens, cæteros exornandos fore, cum viginti duorum annorum cursum docendo complèssent. Quæ legi possunt, in Actis Ephes. edit. Pelt. tom. 1. c. 73. & in Cod. Theodof. l. 3. de stud. liber. Et. l. 1. de Profess. Cum itaque iisdem virtutibus, quibus olim excelluit Theodosius, eximiè decorata sit; atque clementiâ, mansuetudine, animi tranquillitate, fide denique sincerâ & spectata, at-

que ita verâ PIETATE, CUSTODIA RELIGIONIS, & AMORE
LITERARUM constantissimo, itidem fulgeat velut interstellas
Luna minores; Serenissima Vestra CELSITUDO, PRINCEPS ac
DOMINE clementissime, Nutritie Academiæ Jenensis Gratiōsis-
sime: Idcō Illustrissimo Serenissimæ Vestræ Celsitudinis Nomi-
ni, & immortalī VIRTÛTUM memoriæ, hoc quasi trophæum e-
rigere: & Vestræ Celsissimæ SERENITATI, humilimâ Disputa-
tionis pro LOCO habitæ inscriptione, publicè pro CURA ACA-
DEMIE, & quodd etiam me immerentem in numerum Professo-
rum clementer adsciverit, gratias agere subjectissimè volui. Su-
scipiat itaque Illustrissima Vestra Celsitudo, PRINCEPS ac DO-
MINE Clémentissime; sereno vultu hanc qualemcuque DISPU-
TATIONEM; Cujus Respondens, Serenissimæ Vestræ CELSI-
TUDINIS Alumnus est, Magister summæ spei, & probatæ eru-
ditionis, ac Illustri munificentia laudabiliter apud nos vivens: &
ut obsequiosè rogo, ne aspernetur, quicquid etiam hoc est char-
tacei muneris, quod vestræ CELSITUDINI coagmentata quasi cum
gratiarum actione, & in subjecti animi testificationem, humili-
mè offertur. Sacro-Sancta TRINITAS conservet Illustris-
simam Vestram CELSITUDINEM, Ecclesiæ, Patriæ, & Aca-
demiæ, atque sub umbrâ alarum suarum, ad seros usque annos
feliciter perrennare jubéat. Dabam IENÆ, postr. Idûs Septembr.
Anno M. DC. LII.

Serenissima Vestra CELSITUDINIS
Humilimus Minister,

Christianus Chemnitius, S. S.
Theol. D. & PP. Vice Pastor &
Vice-Superintendens.

IN

IN NOMINE SACRO - SANCTÆ TRINITATIS.

THESIS PRIMA.

DE ARBORE SCIENTIÆ BONI ET MALI,



ita Moses, *ישׁ אֵלֶּי וְאָמַרְתִּי לְךָ*, *ὅτι πνευματικὴ ἀγία φε-*

ρὴσεν, 2. Petr. i. v. 20. Genes. II. vers. 9. וַיִּצְמַח

יְהוָה אֱלֹהִים מִן הָאָרֶז כָּל-עֵץ נִחְמָד

לְמִנְאָה וְטוֹב לְמִאֲכָל וְעֵץ הַחַיִּים בְּתוֹךְ הֶגֶן וְעֵץ
הַדַּעַת טוֹב וְרָע:

Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum vi-
su, & ad vescendum suave. Lignum etiam vite in medio Paradisi, li-
gnumque scientia boni & mali. Et v. 16. על יְהוָה אֱלֹהִים

הָאָרֶז לְאִמּוֹר מִכָּל עֵץ הֶגֶן אֲכַל תֹּאכְל וְיִמְעַץ הַדַּעַת:

טוֹב וְרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ כִּי יוֹם אֲכַלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת:

Præcepitque Deus Homini dicens: Ex omni ligno Paradisi comede:
De ligno autem scientia boni & mali ne comedas. In quocunque enim
die comederis ex eo, morte morieris.

II. Appellata igitur fuit hæc ARBOR טוֹב וְרָע
Lignum sive ARBOR SCIENTIÆ BONI & MALI. Unde circa
NOMEN & APPELLATIONEM hanc, explicandū erit: Quam-
obrem sic appellata fuerit? seu: Quaratio fuerit istius Nominis & ap-
pellationis?

I. Primò igitur sunt Nonnulli, qui putant hanc ARBOREM
Nomen & appellationem suam accepisse à falsâ Satanæ persuasione
& deceptione, quæ Adamo & Hevæ facta sit, quando dixerit eis:
Eritis sicut Dii, scientes BONUM & MALUM. Nam antiquus &
personatus ille serpens, qui cap. 3. v. 3. Evam, & per eandem Ada-
um postea seduxit: persuaserat mulieri, EAM sapientes facere,
oculos aperire, & conferendo scientiam Boni & Mali; similes Deo
reddere posse. Dicebat enim loc. cit. Nequaquam morte moriemini,
Scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperien-

zur oculi vestri, & eritis sicut Dei, scientes BONUM & MALUM. & v. 6. Vidit igitur Mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, & desiderabile ad faciendum sapientes. Sed hæc sententia subsistere non potest: Quandoquidem non ex Serpentis abusu & perluasione, sed ex divinâ Impositione ARBOR hæc nomen suum est sortita. Et quàm periculosè sententiam istam secuta fuerit Eva; & quàm falsa protulerit MENDACII pater, humanum Genus etiamnum deplorat & experitur.

III. II. Secundo igitur *Josephus* à malo verborum intellectu itidem non multum recedens. Lib. I. *Antiquit.*: c. 2. arbitratur, hanc arborem sic appellatam fuisse, quod ejus fructus, si ederetur ab homine, vim haberet augendi acumen ingenii, & solertiam ac prudentiam cogitandi, multumque conferret ad percipiendam scientiam. *Arbori enim*, inquit, acuminis & cogitandi, vis inerat. A cujus sententiâ fortassis etiam non differt sententia illorum Rabbino- rum, qui juxta *Gerhardum* in h. l. dicunt, eam sic appellatam fuisse propterea, quod vim haberet accelerandi usum rationis, & liberi arbitrii. Velut inter Hebræos alios sentire prælectionibus suis in *Genesin* p. 50. dicit *Mercerus*, huic arbori inditam eam vim fuisse, ut mentem acueret, & excitaret ad bonum sciendum, & ex adverso malum. Quæ si vera essent, sapientior omnino redditus fuisset *Adamus* post lapsum, quàm ante eundem fuisset. Qui igitur opiniones has sequuntur, omnes in hoc conveniunt, ut statuant: Arborem hanc appellatam fuisse respectu alicujus EFFICIENTIÆ aut productionis; quasi nimirum virtutem habuerit efficiendi aliquid in vescente, aut conferendi ei scientiam boni & mali; id est acumen ingenii, ut *Josephus*; aut usum rationis & liberi arbitrii accelerandi, ut *Rabbini* interpretabantur. Atque huic opinioni favere videtur, quod cap. III. v. 7. de *Protoplastis* legimus, *Et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata*. Et hoc eodem capite II. v. ult. dicitur: *Erât autem uterque nudus; Adam scilicet & uxor ejus, & non erubescabant*. Ex quibus fortè colligas: arborem hanc habuisse virtutem, conferendi scientiam; aut primos parentes post lapsum prudentiores factos. Sicut & *Augustinus*, Lib. XIV. de Civ. D. cap. 17. & *Ludovicus Nives*, in istum locum testantur; Ex istis verbis: *Aperti sunt*

sunt oculi eorum, pari absurditate imperitum vulgus opinatum fuisse, *Primos parentes à Deo cæcos creatos fuisse.* Quos Augustinus refellit. Et sicut aliquando plebejus quidam ad suæ farinae socium dicebat: Bonum fuisse, quod Eva de Arbore scientiæ Boni & Mali comederit; alias enim nos omnes futuros fuisse, ut pecudes, ignorantes, quid Bonum esset, aut Malum. Haud aliter ferè, ac apud *Epiphanium*, Hæresi 31. de Ophitis legimus, quod pro *CHRISTO Serpentem* colant, quæ hominibus Auctor fuerit adipiscendi scientiam, cum esum ligni vetiti persuasit. Et sicuti etiam *Maimonides* in 2. cap. lib. *More bannebuchim*: respondet cujusdam objectioni, qui hominem post peccatum plus consecutum ex sua rebellione objiciebat, quam antè haberet; cum antè velut bestia esset, bonum à malo non discernens, nunc verò hanc vim post peccatum sit adeptus. Cui sententiæ etiam favere videtur *Chaldaïca Versio.* Nam *Onkelos* vertit: *Cujus, qui fructibus vescuntur, sapienter inter bonum & malum discernunt.* Quasi Arbor illa fuisset apta per se ad ingenerandam sapientiam, datura, vel acceleratura usum rationis. Et quasi scire bonum & malum Ebræâ phrasi rationis usum significet; uti non malè scribit ad h. l. *Rivetus.*

IV. Sed quàm per esum de fructu istius arboris planè nihil collatum fuerit humano generi, sed potius omnia deperdita; vox DEI docet, cum miseratus protoplastos, cap. III. v. 22 diceret: *Ece Adam, quasi unus ex nobis factus est.* Quamobrem & rectè idem cit. l. *Mercerus*: *Consentaneum non videtur, ut cum Arbor sit materialis & corporea, rem incorpoream, vim hanc intelligendi præstet.* Et subdit: *præterea eventus ostendit, aliud homini esum hujus attulisse, cum pro scientissimo etiam omnium reddiderit ignorantissimum.* Id igitur certum est, per lapsum Protoplastos nihil acquisivisse, utut serpens mentitus fuerit, dicens cap. III. v. 4. *Nequaquam morietur moriemini. Scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum & malum;* Nec arborem istam virtutem aliquam aut efficaciam habuisse producendi in vespente scientiam boni & mali, vel acumen ingenii, aut usum rationis accelerandi; sed potius, quæ habuerant, suo & totius Humani Generis damno, non nisi *ἔαυθ' ὁπίωτα λυγρῶ* reparabili, perdidisse. Nam *hoc machinabatur serpentis consolatio, ut*

non solum majora non conferret, sed & adquisitis nudaret, & desitutos ab his, quæ habebant, ostenderet, inquit Homil. XVI. in Genes. Chryso-
stomus. Nititur igitur Joseph & Rabbiorum, Gerharo & Mer-
cero laudatorum, sententia falsâ hypothesi, quod Adamus & E-
va creati fuerint sine perfecto rationis usu, ut rectè B. Gerb. Disp.
I sag. 22. cap. 9. §. 20. monuit; nec loca, quæ adducta sunt de ocu-
lorum apertione, & nuditatis agnitione; efficientiam aliquam aut
collationem majoris sapientiæ evincunt, cum malè intellecta sint,
ut postea apparebit. Mirari itaque satis non possumus, ex quo fun-
damento ad h. l. scripserit Johannes Stephanus Menochius, Jesuita:
**SCIENTIÆ BONI ET MALI, Quod comedenti de fructu ejus tribu-
ebat scientiam discernendi inter Bonum & malum.**

V. III. Augustinus igitur; quem etiam Theodoretus sequi-
tur quæst. 26. in Genesin. Hanc arborem sic appellatam censere
videtur; ab eventu, aut experientiâ. Quod primi nostri parentes
in eâ experti sint, quàm bonum fuisset DEO obedire, & quàm ma-
lum inobedientem fuisse. Ita enim August. Tom. III. Lib. VIII.
de Genesi ad literam, cap. 14. p. 248. *Nec fieri potest, ut voluntas
propria non grandi ruina pondere super hominem cadat, si eam volun-
ti superioris præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum
Dei, & hoc experimento didicit, quid interest inter bonum & malum:
Bonum obedientiæ: Malum autem inobedientiæ. id est superbiæ & con-
tumaciæ, perverse imitationis Dei & noxiæ libertatis. Hoc autem, in
quo ligno accidere potuit, ex ipsâ re, ut jam supra dictum est, nomen ac-
cepit. Malum enim, nisi experimento non sentiremus, quia nullum esset, si
non fecissemus. Neque enim ulla Naturæ mali est, sed amisso boni hoc no-
men accepit. It. cap. VI. P. 246 Arbor illa appellata est scientia digno-
scendi bonum & malum, quia si post prohibitionem homo ex illâ ederet,
in illa erat præcepti futura transgressio, in qua homo per experimentum
pæna disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ
malum! Et cap. 13. præcedenti. Non potuit meliùs & diligentius com-
mendari, quantum malum sit sola inobedientiæ, cum idè reus iniqui-
tatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quàm
si non prohibitus tetigisset, non utique peccasset. Nam, ut postea dicit:
A peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione
DEI, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet*

at-

rendi iussio dominantis. Item: Tom. V. Lib. XIV. de Civitate Dei cap. XVII. pag. 166. *Aperti sunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant; sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, in quod ceciderant: Unde & ipsum lignum, eo quod istam faceret dignosceniam, si ad vespendum contra vitium tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum scientie boni & mali. Expertus enim morbi molestia, evidentior fit etiam iucunditas sanitatis. Cognoverunt ergo, quia nudi erant: nudari scilicet eam gratiam, quam fiebat, ut nuditas corporis, nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignovissent, si DEO credentes & obediennes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Item, Tom. VIII. in Psal. LXX. p. 314. quem locum & Aloysius Novarinus citat, in *Mose expenso* p. 62. Num. 178. *Arbor illa appellata est scientia dignoscendi boni & mali, non quia inde talia quasi poma pendebant: sed quicquid esset arbor illa, cuiuslibet pomi, cuiuslibet fructus esset: ideo sic vocata est, quia homo, qui nollet bonum a malo discernere per preceptum, discreturus erat per experimentum, ut tangendo vitium, inveniret supplicium.* Sic etiam Theodoretus scribit, Quæst. 27. in Genesin. Habebant igitur sine dubio notitiam, sed experimentum postea ceperunt. Ut ita dicitur *Scire & Scientia* a τὸ γινώσκω pro experimento, & *Sensu boni & mali* sumantur, ut iterum Mercerus quoque citato loco annotavit. Velle igitur videmus in his locis Augustinum, hanc arborem ita appellatam fuisse ab eventu, aut ab experientia. Nam hoc experimento didicit, inquit, quid interest inter bonum & malum, bonum obedientie, malum autem inobedientie. Et eod, quod faceret dignosceniam inter bonum, quod amiserant, & malum, in quod ceciderant; ex ea re nomen accepit. Atque: *Ideo sic vocata est, quia homo, qui nollet bonum a malo discernere per preceptum, discreturus erat per experimentum.* Et hanc Augustini sententiam quoque B. Lutherus probat; Comment. in Genes. p. 21. Augustinus inquit, & qui eum secuti sunt recte dicunt, sic esse nominatam a futuro eventu. & facit B. Habet autem nomen scientie boni & mali sicut Augustinus, dicit, quia postquam, in ea peccavit Adam, non solum vidit & expertus est, quid boni amiserit, sed etiam in quantam miseriam per inobedientiam suam conjectus sit. Et Tom. IV. Germ. fol. 17. scribit: Was ist das aber für ein Baum mitten im Garten / das Er Jhn heisset einen Baum / darant

B man

man lernet gutes und böses? Er hat Jhn freilich umb viel zukünfftiges Dinges willen also genennet / und sonderlich umb des Falles willen / das Adam darbey lernen würde / wie auch die Schrift an andern Örttern yßlegt etlichen Dingen den Nahmen zu geben umb zukünfftiges Geschichtes willen / per anticipationem. Als in Samuel sagt der Terr. Die Philister lagerten sich bey dem Helffenstein. Sicut etiam per Prolepsin Genes: 12. v. 5. dicitur; Abraham profectus est versus Bethel. Num. 13. v. 23. dicitur, exploratores venisse in vallem Escol aut Botri. Qui locus non ita vocabatur, cum in eo fuerunt exploratores, sed postea ex occasione vel eventu, quia inde botrum istum exciderant Filii Israël. Quem sequuntur quoque *Osiander & Chyrenus* in Genesin. Convenit quoque cum istâ sententiâ *Mercerus*: Ego, inquit, ab eventu per prolepsin putarim hanc arborem dictam, non ab effectis ut precedentem (arborem vitæ) quodâ hujus arboris gustatu jam inceperit cognoscere, quanta bona amisisset, quantâ, delicatæ excidisset, & in qua se totam suam posteritatem mala coniecisset, culpâ suâ. Item *Riveus* Exercitatione XVIII, in Genesin, pag. 74. Probabilior, scribens, habita nobis est multò præcedens sententia, sic vocatam fuisse per occupationem, vel ab eventu. Qui etiam hanc sententiam ab argumentis Pererii vindicat. Consentit etiam *Hugo Cardinalis* in Cap. II. Geneseos dicens: Arbor ergò non erat mala, sed scientiæ dicta noscendi bonum & malum: quia post prohibitionem erat in illâ transgressio futura: quâ homo experiendo disceret, quid esset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Nec de fructu, qui nasceretur inde, positum est nomen: sed de ipsâ re, quæ transgressionem secuta est. Hac *Hugo*. Sic etiam *Dionysius Carthusianus*, Enarrationibus in Genesin, in cap. 2. fol. 23: scribit: Arbor illa ita vocata est eventu, quæ homo manducando de fructu ligni illius experimentaliter didicit, & cognovit in malum suum, quid sit obedientiæ virtus, quid inobedientiæ vitium, & quantum distent ista ab invicem quod tamen antè habitualiter sciverit notitiâ simplici, sed non experimentaliter. Item *Augustinus Tornellus*, in Annalibus Sacris, pag. 50. dicens: Creditur Arbor Scientiæ boni & mali, hanc sortita appellationem ab Eventu, ut communiter sacri putant Theologi. Qui tamen addit: Melius fortassis dici posse, quod nomen hoc ea arbor acceperit à Deceptione, quæ Adamo & Hæva facta est à Serpente, quando dixit eis: Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.

Sed

Sed hoc *posterius*, quamvis id etiam Rupertus & Tostatus sequantur; nos non putamus *melius* dici; quoniam non ex Satanicâ persuasione, sed ex divinâ impositione hæc ARBOR nomen suum accepit, ut nunc ostendemus. Vide etiam supra Thesin II.

VI. Cum autem hæc duo omninò distincta sint: *arborem hanc ita appellatam fuisse per prolepsin ex parte hominis*, nempe à futuro *eventu*, sive à subsequenti tristi experientiâ, in quam HOMO ceciderit. Et *Eam sic appellatam fuisse ratione FINIS à DEO intenti*; ut quasi ara DEI & templum esset, in quo experiretur homo, quàm bonum esset Deo obedire, & quàm malum rebellare, ut ita arbor hæc instituta ex parte DEI esset tanquam *probationis arbor*, in quâ probaretur, in suâne integritate perstaret homo, an ad malum deflecteret? Illud enim futurum eventum & experientiam mali præsupponit; hoc autem minimè. Ideo ipsemet Augustinus etiam in hoc *posterius*, ut nempe à *sine* potius divinitus intento, quàm ab *eventu* rationem appellationis deducat, & quidem nostro iudicio magis, inclinât. Loco cit. enim de *Genes. ad litteram*, cap. XV. ita scribit: *Frustra autem nonnulli acutè obtusi sunt, cum requirunt, quomodo potuerit appellari lignum dignoscencia boni & mali, antequam in eo transgressus esset homo præceptum, atq; ipsa experientiâ dignosceret, quid interesset inter bonum, quod amisit, & malum, quod admisit. Lignum enim tale nominè accepit, ut eo secundum prohibitionē nō tacto caveretur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. Neg, enim quia inde contra præceptum manducaverunt: idè factum est illud lignum dignoscencia boni & mali, sed utiq; etiam si obedientes essent, & nihil inde contra præceptum usurpassent, id rectè vocaretur, quod ibi iis accideret, si usurparent. Quemadmodum, si vocaretur arbor saturitatis, quod inde homines possent saturari, nunquid si nemo accessisset, idè nominè illud esset incongruū, quando quidem cum accederent & saturarentur, tunc probarent, quàm hoc rectè arbor illa vocaretur. Hæc Augustinus. Ex quibus apparet: Eum arboris hujus appellationem, non tam ab *actuali eventu*, aut *experientiâ* duxisse, ut priora loca præ se ferunt, quoniam clarè dicit: *Utq; etiam si obedientes essent, & nihil inde contra præceptum usurpassent, id rectè vocaretur: quàm à possibili & à Fine* divinitus intento derivasse; quod ibi eis accideret, si usurpassent. Quemadmodum sic vocaretur arbor saturitatis, quòd inde homines possent saturari. Ac*

propterea secundum ipsum arbor retinisset illam appellationem, quamvis homo nunquam peccasset. Quod igitur Augustino alicubi opponitur. i. hac ratione promissum serpentis de scientia experimentum verum fuisse. Sicuti apud Mercerum p. 50. Ebraei putant, verum dixisse serpentem, & esse ex numero trium, qui cum verum dixissent; tamen eieci sunt de mundo & condemnati. Serpens nimirum; Exploratores; & Doeg Idumeus. Sed mentitum esse, ibidem confitetur Mercerus. Quemadmodum etiam p. 51. dicit: Ego serpentem puto mentitum. Quod repetit. p. 57. 2. ex eadem ratione arborem dici potuisse, arborem a pertionis oculorum: Eum quantum ad hanc posteriorem appellationis rationem, non ferit. Non enim de actuali experientia, quoniam homini acciderit, ut tunc experiendo cognosceret discrimen inter bonum, quo ante peccatum fruebatur, & malum, in quod peccando incideret: sed potius de possibili; & Fine divinitus intento, appellationis rationem deduxit Augustinus, dicitque: *Utique, etiam si obedientes essent, id recte ita vocari, sicuti patet.* Ipse igitur se in hoc loco clarius explicat. Non aliter ac Novarinus quoque in cap. II. Genes. num. 159. rem exponit: *Lignum scientia boni & mali inquit, non quod arbor ipsa scientiam boni & mali haberet, aut comedenti affricaret, sed quia ejus esu discere per experientiam poterat, quam magnum obedientia bonum esset, quam magnum inobedientia malum!* Discere poterat inquit; De possibili itidem statuens, arborem hanc nomen suum accepisse, non ab eventu aut actuali experientia aut sensu mali. Idem tamen ibidem de experimentali quoque appellatione subiicit: *Scitè Honcala: Ab accessione igitur pœne inferenda divinam jussionem transgressuro dicta est scientia boni maliq; arbor, quia illam tolerando penam re ipsa expertus est, quantum Bonum sit obedientia, quantumq; sit inobedientia malum.* Sed jam post LAPSUM non amplius est ARBOR SCIENTIÆ BONI & MALI, quoad experientiam respectu nostri. sed jam tantum MALUM experimur. Quemadmodum igitur Lex divina duobus modis consideratur, vel per se, & ita Deuter. 11. v. 26. & 30. v. 10. dicitur, *proposui tibi vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem: vel quatenus refertur ad naturam nostram, peccato corruptam & vitiatam;* ac ita Rom. 7. v. 10. dicitur, *mandatum, quod erat ad vitam, inventum, est mihi esse ad mortem,* ubi in illâ relatione Paulus non loquitur disjunctivè: Lex operatur vel misericordiam, vel iram.

Qui

Qui ex operibus legis sunt; vel sub *benedictione*, vel sub *maledictione* sunt. Item non vocat administrationem *vite & mortis*. Nec dicit, ex lege esse cognitionē iustitiæ, sc. coram Deo, & peccati. sed simpliciter dicit; *operatur iram*, Rom. 4. v. 15. Est *ministerium mortis*, 2. Cor. 3. vers. 7. Sunt sub *maledictione*, Gal. 3. v. 10. Non est data lex, que posset *vivificare*. Gal. 3. v. 21. Sed per legem agnitio peccati Rom. 3. v. 20. ut docet Chemn. de lege Dei cap. 2. fol. 5. Sic etiam hodie ARBOR illa, quatenus refertur ad miseram experientiam, non amplius nobis post LAPSUM ARBOR SCIENTIÆ BONI; sed tantum MALI est.

VII. Convenit igitur, quantum ad hoc NOMEN, sententia Augustini cum nostrā; quam à FINE petitam nunc ulterius exponemus. Nempe statuimus; Arborem hanc à DEO appellatam fuisse Arborem scientiæ boni & mali, cum esu ejus Adamo v. 16. interdiceret: à FINE seu *Uso* divinitus constituto. *Fuit enim velut quadam ara & templum, in quo disceret, quantum sit bonum, in concreta à integritate persistere, & quantum sit malum, ab eâ deficere*, ut loquitur B. Gerbardus comment. in Genes. p. 49. Disp. Isag. 22. cap. 9. §. 20. Adeoque in istā tanquam in arā & templo Dei contemplari, discere & experiri potuit, quid bonum esset, quid malum: bonum, quod DEUS præceperat, malum, quod prohibuerat. Rectè cit. loco B. Lutherus, postquam sententiæ Augustini meminerat: *Conditur nova arbor, ad discrimen boni & mali, ut haberet Adam certum signum cultus & reverentia erga DEUM. Nam cum omnia ei tradita essent, ut eis pro arbitrio frueretur, seu ad necessitatem, seu voluptatem vellet, requirit tandem DEUS ab Adamo, ut in hac arbore scientia boni & mali, reverentiam & obedientiam præstaret erga DEUM, & hoc quasi exercitium cultus Dei retineret, ne ex eâ quicquam gustaret.* Sententia igitur nostra est: *Hanc arborem ita à FINE appellatam fuisse; ut in Eâ tanquā in arā Domini, & Scholā Theologicā sciret, & disceret homo, quid bonum esset, quid malum? Bonum in obedientiā & concreta integritate consistere: Malum, delabi ad inobedientiam, & pristinam integritatem amittere.* Eleganter enim *Augustinus*, lib. 8. de Genesi ad literam cap. 14. *Bonum quippe incommutabile, DEUS est, Homo autem, quantum ad ejus naturam, in quā cum Deus condidit, pertinet, bonum est quidem, sed non incommutabile bonum, melius bonum sit, cum bono incommutabili adhaerit, amando atque serviendo,*

rationali & propria voluntate. Et paulo post: *Quid enim tam iniquum, quam ut bene sit desertori boni?* Probat hanc sententiam nostram inter alios quoque *Bonsfrerius*; Eamque ipsam præ istâ priori tribuit Augustino. *Vocata est hæc arbor Scientia boni & mali*, inquit, *Comment in Genes. cap. I. p. 118. vel ab eventu, ut plerique, qui nolunt hoc nomen illi ab initio inditum, statuunt: vel quod magis placet, à virtute ipsius arboris non physicâ, sed morali, quod scilicet futurum erat, ut ad ejus gustationem hæc pœna hominem sequeretur, quâ ipse experimento disceret, quid inter bonum, quo spoliaretur, & malum, quod incurrisset, interesset: quâ ratione optimè defendi potest, etiam hanc arborem sic vocatam ante peccatum. Et hanc posteriorem rationem, D. Augustinus Lib. 8. de Genesi ad Lit. cap. 25. sequitur.* Hæc *Bonsfrerius*. Sententiâ itaque nostra & ratio ista appellationis hæcenus probata & certa est. Interea tamen; si quis cum *B. Gesnero* *Comment. in cap. II. Gen. quæst. XII. dicere velit; ante lapsum hanc arborem ita dictam fuisse à Θεω θεω, à scopo & usu arboris divinitus constituto; Post lapsum autem hoc nomen retinuisse ab eventu: & ad eundem modum priora loca Augustini, ut & verba B. Lutheri de Augustini sententiâ, & dictum Honcaæ explicare & conciliare voluerit: non admodum ei repugnabimus. Relinquatur modò, eventuale illam appellationem esse accidentalem, ac contingentem: hanc autem primariam, principalem, & primitivam à Deo intentam. Retinisset enim hoc nomen utique etiam si obedientes essent, & nihil inde contra præceptum usurpassent. ut Augustinus loquebatur.*

VIII. Causa EFFICIENS hujus arboris fuit DEUS. Nam ita Moses: *Gen. I. v. 11. Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.* Et capite II. v. 9. loco Thef. I. adducto inquit, *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vite in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali.* Producta igitur est in Paradiso, à Domino Deo; omniû rerum creatore perinde ut arbores aliæ. Et arbor hæc in sese non fuit mala, sed bona, ut alia omnia, quæ DEUS creaverat, bona fuerunt. *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde, Genes. I. v. 13. Pulchrè August. de Genes.*

Genesi ad literam Lib. VIII. cap. VI. *Prorsus & hoc lignum erat visibile ac corporale, sicut arbores cetera. Quod ergo lignum esset, non est dubitandum: Sed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mibi autem etiam atque etiam consideranti, dici non potest, quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam, neque enim qui fecerit omnia bona valde, in Paradiso instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem precepti. Arbor itaque illa non erat mala. Quæ verba repetiit etiam Beda, Tom. IV. Exposit. in Genesin, v. 18, dicens: Lignum etiam scientiæ boni & mali, non est dubitandum, quod esset lignum visibile, in quo utique non suspicor aliquid noxium inesse, cum fecerit DEUS omnia bona valde: sed malum est homini transgressionem precepti.*

IX. **MATERIA.** Fuit Humus. *Produxit enim DEUS de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave; dicit cap. II. v. 9. Moles, Condita igitur est hæc arbor, ut arbores quoque alia, creatione mediata. Quoniam primò fecit DEUS cælum & terram. Genes. I. v. 1. Ex terrâ autem lignum faciens fructum die tertiâ, Genes. I. v. 12. Et quidem creata fuit cum fructibus: perinde sicut arbores alia, etiam cum suis fructibus productæ fuerunt. Quæ res etiam movit nonnullos, ut statuerint, mundum non Veris tempore, sed Autumno creatum fuisse. Quemadmodum hæc sententia Lyrano in cap. 7. Genes. Tostato, quæst. 21. in cap. 1. Genes. Pererio, lib. 1. in Genes. p. 193. Danao in Phyl. Christianâ p. 39. & aliis arridet. Vernale autem tempus communiter amplectuntur Patres; ut videri potest apud Iren. lib. 5. p. 326. Cyrill. Hierosolymit. cateches. 14. p. 211. Ambros. lib. 1. hexaem. cap. 4. Athanas. ad quæst. 17. Antiochi. Leon. serm. 19. de passione Domini. Damasc. 2. de orthod. fid. cap. 7. & apud alios. Quod igitur Galenus lib. XI. de usu partium cap. 14. contra creationem, & contra admirandam productionem rerum & ita hujus & aliarum arborum, scripsit. Moses arbitratur, DEUM omnia facere posse, etiam si ex cinere equum facere velit: nos autem non ita sentimus, sed confirmamus, quadam Naturam facere non posse, eaque, DEUM ne aggredi quidem, sed ex iis, quæ facere potest, quod melius est, eligere: id tanquam carnale & verbo DEI contrarium, rejicitur. Potest enim Deus *ὅτι οὐκ ἔστιν ἰσχύειν ἐκ τῆς κενῆς οὐσίας, ὡς ἡ φύσις, Eph. II. v. 20. Non erit impossibile apud DEUM omne verbum Luc. I. v. 37. Præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit. Esai. XL. v. 26. Omnia**

cunq; voluit DOMINUS, fecit in caelo, & in terrâ, in mari & in omni-
bus abyssis. Psal. CXXXV. v. 6.

X. Progredimur ad FORMAM, Fuisse lignum hoc scientia Bo-
ni & Mali ex genere arborum & plantarum, adeo que animam ve-
getativam habuisse, certum est: Sed cuius speciei fuerit, id incertis-
simum? I. *Theodoretus* itaque, Quæst. XXVII. in Genesin pag. 9. sta-
tuit, arborem hanc *Ficum* fuisse, propterea, quòd cap. III. v. 7. dica-
tur. *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi Perizomata.* *Univerſa au-
tem inquit, erant folia ficus.* Certè sine controversiâ erat, arbor illa ficus
de qua præceptum acceperant. Sed non assentiuntur quidam, præ nimia,
ut mihi videtur, simplicitate: qui putant oportere novum quoddam esse
lignum, non attendentes, quod non ligni qualitate, neque cibi novitate
peccata censentur; sed ex peccato dato. Existimat igitur *Theodoretus*,
sententiam suam tam certam esse, ut omni careat controversiâ, &
eos, qui non assentiuntur, propterea simplicitatis accusandos. Et
quidem, ut nihil dissimulemus, habet scriptura Sacra hunc morem,
ut aliquando, in subsequentiis aliquid indicet, quod antea vel cla-
rè non dictum, aut etiam planè prætermisum fuerat, & sæpè ex iis,
quæ dicta sunt, aliud colligendum relinquat. Sic enim, dum trepi-
dantium fratrum *Joseph* sermonem describit, Genes. XLII. v. 21.
loquentium ad invicem: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fra-
trem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos,
& non audivimus:* Quasi aliud referens, id ipsum indicat, de quo su-
perius, cap. XXXVI. v. 14. nihil fuerat dictum. *Josephum* nempe in
extremis fuisse angustius, & fratres anxie pro vitâ suâ deprecatum fuisse.
Sic etiam dum Luc. XXIV. v. 33. de duobus discipulis *Emmaun-
tem* tendentibus dicit: *Surgentes eâdem horâ regressi sunt Hierosoly-
mam, & invenerunt congregatos undecim:* hoc ipso innuit, duos il-
los, ex numero undecim Apostolorum non fuisse. Pariter igitur
quis cum *Theodoro* existimare posset, his verbis: *consuerunt fo-
lia ficus:* tacite indicari, & quasi cogitandum relinqui, arborem sci-
entia boni & mali *ficum* fuisse: eandem videlicet, ex qua carptim dem-
fissent folia, cum non sit admodum probabile, ad aliam arbo-
rem, eos ad consuenda sibi *Perizomata* accessisse.

XI. Sed certum est: Si quis tueri contradictoriam & *Ficum*
*Theodoret*i repudiare velit, eum per ista, quæ adducta sunt, neu-
tquam impediri. Quæ enim jam allata sunt exempla, clara sunt,
& ma-

& manifestam vim consequentia in se continent, & mutuo se arguunt, id quod hic deest. Sequitur enim: Duo discipuli Hierosolymis invenerunt congregatos undecim: non igitur fuerunt ex illorum numero. Fratres dixerunt: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos. Ergo deprecatus est illos, eum eum nudaverunt, & miserunt in cisternam, quamvis id cap. XXXVII. v. 24, non dicatur. Item: Fuit in angustia animæ, & deprecatus est fratres: Ergo per DEUM & omnia sacra fratres obtestatus est. Sed quando cum Theodoreto hic colligitur; *Consuerunt folia ficus & fecerunt sibi Perizomata: Ergo arbor scientia boni & mali Ficus fuit!* Facile morbus & navus iste apprehenditur, qui dicitur: *Non valet Consequentia:* Est enim hoc ipsum valde adhuc dubium, nec parum controversum, an folia illa ex quibus primi Parentes Perizomata sibi consuerunt, fuerint ex arbore scientiæ Boni & Mali, an verò ex aliâ arbore desumpta? Quia contrarium est longè probabilius. Quod enim ex arbore scientiæ boni & mali non fuerint, patet I. Quia si ex illâ arbore Perizomata sibi fecissent, certè fuissent veriti, ne per hæc ipsa folia transgressio illorum quasi proderetur & manifestaretur. Cogitassent enim DOMINUM statim agniturum esse ista folia & ex decerpis foliis eos de suâ transgressione condemnaturum. Qui igitur eos adegit timor, ut ad auditam DOMINI vocem trepidarent, & inter arbuta se absconderent, cap. III. v. 8. Idem sine dubio quoque impedivit, quò minus Perizomata sua ex arbore scientiæ boni & mali, ex quâ tam grave damnum sensissent, sibi confecerint. Timuissent enim, ne proderent se ipsos. II. Neq; post esum de arbore vetitâ diu circa eam hæsit Eva, sed mox, ut credibile est, ad absentem maritum properavit, factum exponens, & ut & ipse ederet, ei persuadens: *Tulit enim de fructu illius & comedit, deditque viro suo, qui comedit,* dicit Moses cap. II. v. 6. Et ipse Adam v. 12. DOMINO respondebat: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quoniam igitur Adam absens fuerat, nec ipsemet de arbore vetitâ tulerat fructum, quòd utique factum fuisset, si propè eam steteret; sed mulier ei dederat, & comedeat: Ideò de aliâ arbore potiùs quam de vetito ligno folia decerpserunt. III. Sine dubio postea ex metu abstinerunt ab illâ arbore. Unde etiam Tostatus invertit hoc argumentum.

C

Nam

Nam cum damnū tātū acceperint exiſta arbore, probabile eſt, ingentem illius arboris horrorem & odium eos cepiſſe. Verba *Alphonſi Toſtati*, Epifcopi Abulenſis *Tom. 1. Operum in Genef. capitulo XIII. q. 164. p. 96.* ſunt: *Unde de quacunq; ſpecie, arborum incerti ſumus, an lignum ſcientiæ boni & mali eſſet in illā ſpecie, niſi de arbore ficulnea: quia certum eſt, quod non fuit ficulnea. Nam poſtquam viderunt ſe nudos, poſt peccatum conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi Perizomata. Sed certum eſt, quod non auderent jam poſt peccatum tangere illam arborem, ne majus malum inde eis accideret. Ergo cum acceperunt folia ficus, certum eſt, quod arbor ficus non erat lignum ſcientiæ boni & mali. Sed de aliis ſpeciebus omnibus ſumus incerti, quia in qualibet earum poterat eſſe iſtud lignum.* Et *Bonfrerius*, poſtquam ſententiam *Theodoreti* adduxerat, cordatè ſubjungit: *Sed hæc ratio exigui momenti eſt: quid enim ſi arbor illa exigua folia habebat, & minimè ad contegendum apta, an non aliunde petendum fuit? quid ſi ficus illi arbori vicina erat? quid ſi Adamus, non ad arborem ipſam pomum comedit, ſed alibi accepto ab Eva pomum, ut Scripturæ verba ſonant? quid ſi non ſtatim erubuerunt, ſed poſt aliquod tempus tantum, experti rebellionem carnis? Hæc igitur & alia ſequelam iſtam, ſi non enervant, ſaltem inſigniter labefactant. Neque præ nimia ſimplicitate, ut videbatur *Theodoreto*, ſed propter certas rationes quidam ſententiæ huic non aſſentiuntur.*

XII. II. Alii igitur miſſā *FICU*, ad alias arbores delabuntur. Sunt enim, qui arborem iſtam, ſtatuant, *MALUM* fuiſſe, propter dictum *Salomonis*, *Cantic. 8. v. 5. Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi enixa eſt mater tua, ibi peperit genitrix tua.* Videturq; in hac ſententiā fuiſſe *B. Lutheri*, *comment. in Genef. p. 24.* Irretitur, iniquiens, in horribilem concluſionē, quod ne quid e peccatū fuerit, de pomum illo comedere. Itēque *p. 562 in cap. 41. Oportet gubernatorem, iniquiens, eſſe virum, qui magno animo difficultates & onera Reipublicæ perferat.* Er muß ſaur Suppen eſſen / und in einen ſauren Apſel beiſſen können / wie wir im Paradiß in ein Süßſen Gebiſſen haben. *Auguſtinus* certè fuit. Nam ita de de *Genef. ad lit. lib. XI. c. 13. p. 271. Tale quippe pomum, credendum eſt fuiſſe in illā arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia ſenſerunt.* Sed cum in *Cantico Salomonis* omnia ferè ſint parabolica; nec firmum inde pro aſtruendā hęc ſententiā argumentum peti poſſit: Ideo nec hæc ſententiā evidenti nititur veritate.

tate. Et propterea etiam *Graverus cent. 1. illustr. q. d. 8. concl. 3. de pomo dubitat.*

XIII. III. Alii statuunt: Arborem scientiæ boni & mali, fuisse VITEM. Quoniam Salvator noster Sacro-Sanctam Eucharistiam instituerit ex fructu vitis, Matth. 26. v. 27. & 29. Sed neque hæc vis ulla connexionis est. Nec enim apparet, quomodo ex institutione Eucharistiæ probetur: *Arborem scientiæ boni & mali vitem fuisse.* Nec quisquam tam facilis unquam erit, ut malè cohærenti sequelæ fidem adhibeat. Tutissimum igitur erit dicere: *Qualis fuerit arbor, id ignorari, nec certi quid affirmari posse.* Tacente enim Scripturâ, quis loquetur? Hinc etiam *Augustinus Tornilius* in Annalibus Sacris scribit, Edit: Antwerp. An. 1620. *Arbor scientiæ boni & mali non videtur fuisse diversa ab aliis, sed una ex ipsis. quandoquidem Adami interitus, qui ex illius esu consecutus est, non fuit effectus naturalis, diæte arboris, seu fructus ejus, qui in se noxi nihil habebat; sed inobedientiæ.* Et paulò post: *Quare supervacaneum est querere, An illa Arbor fuerit Ficalnea, vel malus Citria, &c.*

XIV. Sequitur: FINIS: qui duplex fuit. I. *Naturalis*, Quo sine enim reliquæ arbores à DEO fuerunt conditæ, & in Paradiso productæ: eo sine etiam hæc arbor à DEO producta fuit. Ut nimirum per eam ostenderet suam omnipotentiam, exornaret terram, perficeret naturam, & faceret, quod propter hominem facere decreverat. II. *Spiritalis*: Ut esset Objectum Legis divinæ, & quasi Ecclesia, aut ara ac templum Domini, in quo primi parentes honorem & cultum debitum, DEO exhiberent. De quo ita Spiritus Sanctus per Moysen, cap. II. v. 16. *præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comedere: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Et cap. III. v. 2. *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceptum tibi ne comederes, comedisti.* Hinc rectè *Tertullianus lib. adv. Judeos p. 133.* disputat. Hanc legem matricem fuisse omnium præceptorum. In hac enim lege, inquit, Adæ data omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen. Unde etiam rectè statuitur, hoc præceptum fuisse compendium totius Legis Moralis. Hinc enim notanda quoque est Emphasis in Ebræo, additâ voce *וְעֵץ*: Ex illâ. Quod *R. Esra* ad majorem

rem declarationem putat additum. Item: Dicit fecisse ad *imminutionem*; ut sit sensus: ne tantillum quidem de illâ comedes, quod iuxta Mercerum complectitur etiam gustatum. pag. 51. Quamvis R. Isaac Caro, dicat: Si gustasset tantum, id ei non profuisset quidem, non nociturum tamen fuisse, quia Doctores tradant, gustatu non solvi jejunium, nisi ederis. Sed Lex Dei etiam ad cogitationes pertinet, nedum ad gustum. *Instituatur igitur hic*, inquit B. Lutherus, comment. in Genes. p. 23. f. b. *Ecclesia*, antequam *Oeconomia* esset. Nam Dominus concionatur hâc *Adæ*, & proponit ei verbum. *Hac enim concio, Adæ & omnibus nobis, si in innocentiâ perstitisset, fuisset tanquam Biblia, nec opus habuissemus papyro, atramento, calamis, & illâ infinitâ multitudine librorum, quâ hodie indigemus, nec tamen millesimam partem ejus sapientia consequimur, quam Adam habuit in Paradiso. Totum studium sapientia hæc brevis concio absolvisset, ac ostendisset nobis, tanquam in tabulâ pictam bonitatem Dei, qui sine illis incommodis naturam hanc creasset, quæ postea per peccatum sunt consecuta.* Et rursus. *Hæc igitur arbor scientia boni & mali fuisset Ecclesia, ad quam Adam cum posteritate suâ, die Sabbato convenisset, & post refectioem ex arbore vitæ, predicasset DEUM. & laudasset eum prædato dominio omnium creaturarum super terram. Predicasset Adam summum beneficium, quod esset cum posteritate suâ conditus ad imaginem DEI. Hortatus esset, ut sanctè & sine peccato viverent posteri, ut operarentur fideliter in horto, ac custodirent eum diligenter, ut summo studio carerent sibi ab arbore scientia boni & mali. Hunc externum locum, ritum, verbum, cultum habuisset homo, postea rediisset ad operationem & custodiam, donec præfinitum tempus impletum esset, quo esset translatus in calum cum summâ suavitatè. Sed loquimur de his bonis, concludit tandem, tanquam de thesauro perditio, & meritò suspicimus ad eum diem, in quo restituentur omnia. Utile autem est, ut hoc quoque consideremus. DEUM Adæ Verbum, cultum & religionem dedisse nudissimam, purissimam & simplicissimam, in quâ nihil laboriosum, nihil sumtuosum fuit. Non enim præcepit mactationem taurorum, non fumum thuris, non vota, non jejunia, non alias afflictiones corporis: Hoc tantum vult, ut laudet DEUM, ut gratias ei agat, ut letetur in Domino & ei in hoc obediat, ne ex vetitâ arbore comedat. Hæc B. Lutherus in aureo suo super Geneleos librum commentario.*

XV. Cum quo eleganter concinit, quod paribus verè verbis *Chrysoſtomus* ſcripſit, in cap. II. Gen. Homil. XV. *Non moleſtum aliquid & grave, petam ex te: frui enim omnibus tibi permitto. Vnum præcipio, ne tetigeritis. Et magnam pœnam decerno, ut vel timore coercitus, datum à me mandatum cuſtodias. Hæc faciebat, quaſi Dominus aliquis liberalis, domum magnam alicui concedens, & ut Dominium ſibi ſalvum maneat, parvam tantùm pecuniam dandam ab illo præſcribat. Sic fanè & miſericors noſter Dominus, conſeſſo omnium, qui in Paradifo ſunt, fructu, ab uno tantùm ligno abſtinere juſſit, ut ſcire poſſit, quòd à ſe ſub Domino, cui obedire debeat & parere, ſi quid ille imperarit. Ex quibus patet, facilimum fuiſſe primis noſtris parentibus, mandato accepto obedire, & eos cum ſummâ voluptate Deo inſervire potuiſſe; Mandatum enim acceptum grave non erat: ac *Arborem illam ſcientia boni & mali*, nihil aliud fuiſſe; quàm *Eccleſiam*, ſeu *aram & templum domini*, in quo Genus Humanum cultum præſtitit Deo debitum, ut modò explicatum fuit. Reſtè propterea etiam *Chyeraus* in Genefin. p. 8. *Si Adam non fuiſſet lapſus, hæc arbor fuiſſet Templum, in quo coluiſſet Adam Deum, & ſuam obedientiam erga Deum, externo opere declarafſet.**

XVI. Ipſe igitur *Chryſoſtomus* iterum reſtè in cap. III. Genef. Homil. XVII. p. 99. quamvis innixus vocabulo, SOLO, quæ non habetur in textu; *De quo SOLO*, legens, præcepi tibi, ne comederes loquentem, & inobedientiam primis noſtris parentibus expræbrantem, inducit DOMINUM, dum ſcribit: *Num adeò anguſtos fruendorum bonorum limites tibi præſcripſi? Nonne omnem copiam præbui? Nonne omnium, quæ in Paradifo ſunt, poteſtatem tibi dedi? & duntaxat ab hoc unico ut abſtinere, præcepi: ut ſcire poſſes te ſub Domino quodam eſſe, cui obedientiam debes. Quæ igitur negligentia illa, ut tantis fructibus non contentus, ab hoc unico abſtinere nolueris, & ſic ſtatim, ad violandum mandatum, quod dedi, proruperis, remet ipſum tantis malis immergendo? quæ tibi inde utilitas? Annon hæc prædixi? Nonne metu pœna volui te coercere & munire? Nonne hæc de cauſa ne in tanta mala incidereſ, hunc cibum prohibui? Quis te poſt tanta mandata adeò inſenſatum factum, veniâ dignaretur? Nonne ſicut Pater germanum filium, de omnibus ſatis dilucidè & diſtinctè inſtruxi: & ut de abis quidem guſtanes, ab hoc autem abſtinereſ, ut ne prævaricando o-mnia bona tua ſimul perderes? Sed forè ratus es alterius conſilium*

mandato melius & fidelius, & expectatione majorum bonorum hæc fecisti, & contemto mandato meo, de ligno edere ausus es. Ista sic Chryso-
stomus.

XVII. Datum igitur fuit primis nostris parentibus, de Arbo-
re hæc divinum præceptum: *Ex omni ligno Paradisi comede: De ligno
autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis
ex illâ, morte morieris.* Hoc est istud Religionis præceptum, ut
appellatur à Rungio, *comment. in h. l.* Voluit enim Adamum hoc so-
lo externo Symbolo suam erga creatorem testari reverentiam. Et
abstinentia ab arbore scientiæ boni & mali fuisset externum sym-
bolum timoris Dei, amoris & obedientiæ in corde Adami. Ut igitur
ex eâ ne comederet Adam; caverat Dominus *Majestaticâ prohibi-
tione.* *Ne comedas,* inquit: quia ego Dominus Deus tuus, qui
creavi te, hac arbore tibi interdico, *Et; Severâ comminatione;* quo-
cunque enim die comederis, morte morieris, מוֹרְתָא מוֹרְתָא *Morte,*
seu *moriendo,* inquit, morieris. Quæ Phrasis *emphasin* continet, &
rei certitudinem, perfectionem & augmentum notat. Geminatio enim
hæc Hebræis sensum auget & intendit; vel certitudinem denotat.
Morte morieris, igitur est: omnino, vel certissime morieris. Perinde,
sicut Genes. 37. v. 33. *discerpando discerptus est Joseph,* est: omnino vel
certo discerptus est.

XVIII. Quam MORTEM autem primis nostris parentibus
his verbis DEUS comminatus fuerit; iterum pulchrè exponit *Au-
gustinus* Lib. 13. de Civit. DEI cap. 12. p. mihi 150. *Utrum animæ,* in-
quiens, *an corporis, an totius hominis, an illam, quæ secunda dicitur,
mortem comminatus est? respondendum est.* Omnes. Prima enim con-
stat ex duabus. Secunda ex omnibus tota: quoniam prima constat ex
duabus: unâ animæ, alterâ corporis, ut sit prima totius hominis mors;
cum anima sine DEO; & sine corpore ad tempus pœnas luit. secunda
verò, ubi anima sine DEO cum corpore pœnas aternas luit: Quando er-
go dixit Dominus. *Quâcunq; die ederitis ex illo, morte moriemini:* non
tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur DEO: nec
tantum posteriorem, ubi corpus privatur animâ: nec solum ipsam totam
primam, ubi anima & à DEO à corpore separata punitur: sed quicquid
mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quæ est nulla po-
sterior, comminatio illa complexa est. Secundum *Augustinum* igitur

tur DEUS primis parentibus comminatus est mortem, I. Spiritua-
lem, quæ est mors animæ, quando anima est sine DEO. II. Tempo-
ralem; quando corporis & animæ unio dissolvitur. III. Primam to-
ram, ubi anima & à DEO, & à corpore separata punitur. IV. Æter-
nam, quando anima sine *Deo*, cum corpore æternas pœnas luet. At-
que sic rectè dictum est: hac phrasi: *Moriendo morieris*, notari rei
certitudinem, perfectionem & augmentum. Est enim sensus, ut p. 124.
B. Rungius loquitur: *Certissimè & in totum morieris, ita ut nihil vi-*
tae tibi sit reliquum futurum.

XIX. Commodè autem ibidem monuit Rungius: cit. loco:
Ex eadem comminatione per Antithesin colligenda esse, præcepto
addita PRÆMIA: Videlicet: *Si autem non comederis, vivendo vi-*
ves. Omnia igitur ista ostendunt, quàm facilè fuisset primis nostris
parentibus, mandatum hoc observare, & quàm nullatenus in DEO
quærenda sit Lapsus causa. Facillimum enim fuisset in tantâ inte-
gritate Naturæ, ab unicâ arbore abstinere, reliquis omnibus & for-
tassis etiam ejusdem speciei arboribus, etsi in aliis individuis, con-
cessis: & evidentissimè dictum erat: *Ne comedas: In quocunq; enim*
die comederis ex illò, morte morieris. Si autem non comederis, ex an-
thithesi colligere poterant, vivendo vives. Sed in tantâ facilitate non
peccandi, & utrinque, tam pœnâ, quàm premio propositis, secuti
sunt eheu! nihilominus patrem mendacii, Diabolum, & Fontem
salutis dereliquerunt. Ut meritò etiam hic Dominus ex Esa. cap.
1. v. 2. queratur: *Audire cæli, & auribus percipe terra, quoniam Do-*
minus locutus est. Filios enutrivit & exaltavi, ipse autem spreverunt
me. Et Jer. 2. v. 5. *Hæc dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri*
in me iniquitatis, quia elongaverunt se à me, & ambulaverunt post vani-
tatē, & vani facti sunt? v. 12. *Obstupescite cæli super hoc, & correscite &*
desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus
meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ: & foderunt sibi cisternas:
cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

XX. Sed ut nonnulla his subjungamus, considerandum fu-
erit. I. Quid respondendum sit ad illud *Ἰουδαισμός: Iusto non est lex*
posita: Adam fuit justus. E. Adamo non fuit lex posita. Hoc enim olim
fanaticus quidam Spiritus objecit Lutherò, & ex hoc postea colle-
git: Hanc non legem, sed tantum admonitionem fuisse. Ac por-
rò,

rd, quia pravaricatio non est, ubi lex non est, eò sensim delatus est, ut negaret peccatum originale. Egitque in hac sententiarum connectione magnos triumphos, tanquam qui thesaurum toti mundo hæcenus incognitum, reperisset. Veluti ipsemet *Luberus*, varios hominum fanaticorum expertus genios, commentar. in cap. II. Genes. p. 24. refert. Nam utraque sententia est Pauli. Prior: *Iusto non est Lex posita*, 1. Tim. 1. v. 9. Posterior: *Ubi non est Lex, ibi pravaricatio non est*, Rom. 4. v. 15. Beatus *Lutherus* igitur, ut apud eum videri potest, responsionem ex contextu perit, & inter statum Hominis ante & post lapsum distinguit. B. *Gerhardus* autem, annotationibus in 1. Epist. ad Timoth. p. 16. rem ita explicat, & dicit: *Iusto non est Lex posita* 1. respectu *Justificationis*; ut eam impedire possit. 2. *Coactionis*, quia renati spontè agunt, quæ DEO grata; & 3. respectu *condemnationis*, quia justus à maledictione legis per CHRISTUM liberatus, per fidem in eundem justificatus, & per Spiritum ejus ad sanctam vitam regeneratus, non accusatur, terretur, & damnatur à lege. Sicut enim Math. 3. v. 10. *Securis ad radicem arboris dicitur nēdā*, sic etiam hic non justis, sed injustis lex dicitur *nēdā* tanquam pondus videlicet maledictionis, incumbens legis transgressoribus. Ac quidem contextus docet, Paulum his verbis potissimum respicere ad primum usum legis, de quo Articulo VI. in Formulâ Concordiæ agitur: Subjicit enim: *Sed injustis & inobsequentibus, & impiis & peccatoribus, irreverentibus & profanis, patricidis, & matricidis, & homicidis, Scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiaris, mendacibus, perjuris, & si quid aliud est, quod sara doctrinæ adversatur. Quâ ratione rectè docuit B. Lutherus*: In Naturâ integrâ eo modo non opus fuisse *Lege*. Jam itaque ad argumentum, secundùm B. *Lutherum* respondendum est: *Majorem* loqui de statu post lapsum. Præsupponimus enim, *Indefinitam* illam; *Iusto non est Lex posita*: ratione materiæ æquipollere, isti *universali*: *Nulli iusto est Lex posita*. Secundùm *Gerbardum* verò dicendum est: *Iusto non est Lex posita*, ratione *coactionis* & *condemnationis*: atque ita totum concedi argumentum. Non enim, ut hominem cogeret, sed ut spontè & voluntariè obediret; Neque ut hominem condemnaret, sed ut ei obedientiam præstaret; Lex data & eidem promulgata est: quamvis, quòd condemnatio secutura esset, si non obtemperaret, prædictum, &

2.
 vel inter legem
 latam ante lapsum
 et post lapsum

Ante lapsum iusto
 potuit lex poni,
 posita e; post lapsum
 h. nemo iustus,
 ideo, totumque
 moechis, furibus,
 leges posite sunt

evidenter indicatum fuerit. Secundum *Formulam Concordie* porro respondendum est: Majorem veram esse, de primo & secundo usu Legis; qui sunt, *externam disciplinam contra immorigeros conservare: Et homines ad agnitionem peccati adducere*: Non autem de *Uso legis Tertio*; qui est: ut justis sit *Regula vivendi*. Qui usus legis etiam in *Paradiso* obtinuit: ut enim secundum eam viverent, posita fuit. Hoc tantum discrimen est: Quod Lex in *Paradiso* plenarie à primis nostris parentibus potuisset impleri, & vitâ exprimi atq; ita sine labore servari. Post lapsum autem à Renatis & Justis per fidem, non nisi imputativè & inchoatè inter multa certamina impleri potest. τὴν ὁμοίαν ἡμεῖς ἔχουσιν, εἰς δικαιωσάντων παντὶ τῶ πιστεύοντι, inquit Paulus Rom. X. v. 4. Οἶδα γὰρ ὅτι σὺ οἰκῆς ἐν ἐμοί, τρεῖς τιν ἐσθὶν σκενί μω, ἀγαθόν, Rom. VII. v. 18. Quæ singulæ responsiones argumentum solvunt.

XXI. Ut tamen nihil relinquatur dubii, iis, quæ modò sunt dicta, superaddimus: Complectitur Lex geminam obligationem: 1. *Ad obedientiam* 2. *Ad pœnam*, seu ad *condemnationem*. Jam ad argumentum; Nulli justo est lex posita; Propositio hæc, si de obligatione ad *obedientiam* intelligatur; falsissima est: Nec unquam Paulo in mentem venit; quando dixit: *Justo non est Lex posita*, ut justum ab omni obligatione Legis eximeret. Si autem intelligatur de *obligatione ad pœnam*, verissima est: & totum conceditur argumentum. Rectè *Abdias Prætorius*, in Aureo suo libello de Phrasibus sententiarum, atque ita etiam de hoc dicto, Reg. X. *Generales sententia nonnunquam per restrictionem de unâ certâ specie debent intelligi*: & subdit: *Justo non est Lex posita*, scilicet *quoad condemnationem*. Sive ut loquamur cum Thomâ in 1. 2. q. 96. art. 5. quoad vim *coactivam*; quamvis sit posita quoad vim *directivam*. Est enim duplex vis sive potestas legis. Una *Directiva*: altera *Coactiva*. Quoad vim *directivam* Lex posita est omnibus, tam justis, quàm injustis: sed quoad vim *coactivam* justis posita non est. Verba Thomæ sunt; *Lex de sui ratione duo habet*. Primò quidem, quòd est *Regula humanorum actuum*. Secundò; quòd habet vim *coactivam*. Dupliciter ergò aliquis homo potest esse subiectus legi: Uno modo; sicut *Regulatum regula*: Alio verò modo sicut *coactum cogenti*. Ad quæ verba Cajetanus: Potestas Legis est *Directiva & Coactiva*. Illa respicit ipsos actus licitos aut illicitos, aut indifferentes: *coactiva autem pœnam inductivam ad observationem Legis*.

XXII. II. Considerandum est; Quomodo veritas sua constet di-

D

vina

vina comminationi, quæ arbori huic fuit addita. Dixerat enim Dominus: Quocumque die comederis ex eâ, morte morieris: Atqui: Factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Genesis 5. v. 5. 1. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, confugit ad mensuram diei DEI; de quâ Pl. 90. v. 4. & 2. Pet. 3. v. 8. dicitur: Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies besterna, quæ præerit. Secundùm hanc mensuram igitur, dicit eâdem die Adamum mortuum fuisse, quâ comederit ex arbore scientiæ boni & mali. Nec ipse enim nec quispiam alius Patriarcharum, millenarium annorum numerum supergressus est. Verba Iustini, p. 240. sunt: Ut enim Adæ dictum est, quo die de ligno edisset, eo die moriturum etiam esse; scimus illum mille annos non implevisse. Sed hæc sententia Iustini longius petita, & allegorica potius est, quàm historica. Sicut etiam illa, quando apud Mercerum p. 50. Ebræi putarunt: Moriturum fuisse illo die, nisi egisset penitentiam! non est multi momenti. Mortuus igitur statim est eâdem die Adam, quâ ex arbore hac scientiæ boni & mali comedit; morte spirituali, dum per transgressionem, gratiam DEI & omnem spirituales vitam amisit. Unde Paulus, Eph. 2. v. 4. dicit, nos in peccatis fuisse mortuos. Morte corporali autem quoad imperium, quod mors in ipsum post eum de arbore veritatis obtinuit, seu quoad moriendi necessitatem & debitum, quod per peccatum sibi contraxit. Unde & Symmachus illud: morte morieris, non malè transtulit: Mortalis eris. Sicut etiam, Quæst: Ebraicâ in Genesin Hieronymus refert, Theodotionem versisse: ὁμοῦς ἕσθη. Quod Ebræi significaturi; solent aliquem vocare הוּמָהּ בְּנֵי אָדָם filium mortis. Interim ablato immortalitatis dono, corpus Adami statim cepit sentire frigus, æstum confusionem, & experiri mortis contractæ habitum. Unde & Paulus dicit, Rom. 8. 10. corpus per peccatum esse mortuum, id est moriendi necessitate esse constructum Et Aug. lib. XI. de Genes. ad literam c. 22. scribit. Hæc mors eâ die accidit, quâ factum est, quod Deus vetuit. amisso enim statu mirabili, corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem. Morte æternâ autem mortuus est, itidem isthac eâdem die, quoad reatum, quoniam ei propter transgressionem factus fuit obnoxius. Pertinet huc quod ipse Dominus primos parentes intuitus, ex commiseratione, & ut in posterum peccata cavere discerent, dixerit, c. III. v. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Sunt enim verba illa, non irridentis, ut vocat Ambrosius, de Eliâ & jejuniis, cap. 4. Irridens DEUS inquit, non

appro-

approbans hac dicit: Sed 1. Acriter, ob habitam serpenti fidem, & adeo turpiter neglectum obsequium reprehendentis. 2. Miseriam demonstrantis. 3. Serio de peccatis illorumque Auctore Satanâ cavendis, admonentis, & 4. paternè & ex summâ Philanthropiâ, commiserantis: Unde & priores significaciones respiciens B. Lutherus comment. in XLI. cap. Genes. p. 265, inquit: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Das Unus hat ein gut Jahr. Ac quamvis comment. in h. l. p. 51. itidem ut Ambrosius dicat: Est sarcasmus & acerbissima irrisio: mox tamen ad eadem significaciones respiciens addit: Ut futurum peccatum tantò metueret & caveret diligentius, datur ei hoc tam acerbum memoriale. Vidit enim Deus, quales futuri sint posteri ejus, ideo ponit verbum hoc in os Adæ, ut predicet id posteris, & doceat: Quòd cū voluerit similitudo Deo fieri, sit similis Diabolo, ut ipsi quoq; caveant, ne ad id peccatū parentū, adjiciant sua, scq; magis à DEO discedant. Hinc etiam B. noster Gerhardus comment. in Gen. p. 22. rectè scribit: Quidam statuunt, esse Ironicam illusionem. Sed repugnat DEI Philanthropiâ. Ergò non sunt verba sarcasticè irridentis miseriam; sed justè exprobrantis culpam. Sicut juxta sententiam Flacii in clave p. 168. IRONIA est, cum sub specie laudis, aut boni amici, sermonis aliquem irridemus, aut alioqui, inimicum quid indicamus. juxta quam definitionem sanè, nec illusionem, nec inimicum quid, nec Ironicum admittere possumus. Sed si cum Philippo Melanchione in Rhetoricâ p. 107. dicatur: Quòd in IRONIA interdum sit, Admiratio; interdum Querela: alicubi Deprecatio; alicubi contemptus: aut cum Vossio in Instit. Orat. p. 152. asseratur: Ironia est, cum per id, quòd dicitur, intelligitur contrarium; Sicut & Glassius in Rhet. Sacrà p. 76. scribit: Rectius hic Tropus Antiphrasis appellaretur, & mox addit: Quædam cum illusionem dicuntur: Quædam cum exprobratione, cujus contrarium est intelligendum. Tunc sanè Querela, & Antiphrasis ac Increpatio quædam Ironica admitti potest. Confer Lutherum, cit. Tom. IV. p. 30. 6. Qui locus dignus est lectu.

XXIII. Restat CONSEQUENS, sive EVENTUS; qui duplex fuit I. Satanicus appellationis hujus arboris ABUSUS. II. Gravissimus primorum parentum LAPSUS. De isto dicit Moses cap. III. v. 4. *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quacunque die comederitis ex eâ, aperientur oculi vestri, & eritis, sicut Deus, scientes bonum & malum.* ABUSUS igitur est isthac appellatione mendaciorum & æquivocationum Pater malignus

lignus spiritus, & nomen *Arboris* sic explicuit, quasi à potestate confere-
rendi scientiam boni & mali, & eos similes DEO efficiendi, nomen
& appellationem habeat. Inculcabat igitur DEUM 1. *Mendacii: Ne-*
quaquam, inquiens, *morte moriemini.* 2. *Invidia, scit DEUS, quid futu-*
rum sit, si comederitis: ideo vobis hac arbore interdixit. 3. *Malitia,*
quasi eos sufficienter bonos non fecisset; *Aperientur* dicebat, *oculi ve-*
stri, & *scietis quid bonum & malum.* 4. *Inconstantie & Impotentia:* Non
puniet vos, aut si voluerit, non poterit, quia *eritis ei pares.* Sicut non
malè ad hæc verba commentatus est Rabbi Salomon, dicens: *Eritis ipsi*
pares, quod nunc timet: Ideo vetuit: Eritis creatores mundorum & re-
rum omnium: quoniam omnis artifex æquales suos odit. Quanta igitur
Spiritus tenebrarum *παραγία* fuerit, & quàm horrenda malitia, non
potest capere in imbecillitate & fragilitate hac, mortalitas humana.

XXIV. De HOC autem: videlicet primorum Parentum LAPSU,
dicit eodem capite III. Moïsis. *Vidit igitur Mulier, quòd bonum esset li-*
gnum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile. Et tulit de
fructu illius, & comedit, deditq; viro suo, qui comedit. Et aperti sunt o-
culi amborum. *Cumq; cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus &*
fecerunt sibi Perizomata. De quo hic ex professo agere instituti nostri
non est. Duo tamen non possumus à nobis impetrare, quin paucis at-
tingamus: Nimirum; I. *Quàm grave peccatum fuerit comedere de hac*
arbore? II. *Quid intelligendum sit per istam apertionem oculorum?*

XXV. Quod igitur Prius attinet; *quàm grave videlicet pecca-*
sum fuerit, comedere de hac arbore; de eo egerunt etiam B. *Gesnerus,*
in cap. III. Genes. quæst. X. & B. *Gerhardus* Disp. Isagogicâ XXIII.
cap. IV. & alibi passim: Fuit nempe gravissimum & maximum pecca-
tum; siquidem inobedientiam internam & externam, in se continuit,
& horrenda rotius Legis, & univerforum Decalogi præceptorum
transgressio fuit. Nam contra *Primum* peccant, dum Creatorem su-
um ex oculis removent, auscultant autem Diabolo, & ei plus fidunt,
quàm DOMINO, & DEO suo, adeoque implicant se idololatriæ;
dubitationi & incredulitati. Contra *Secundum,* quòd verbum DEI
depravant, addentes; tò *fortè,* ut observarunt *Hugo & Rupertus,* i-
temq; tò *nectangeremus,* ut observavit *Ambrosius.* Et quòd nomen Dei
patiuntur profanari, cum Satanas eum insimularet invidia; & cum
ipsi postea culpam transferrent in DEUM, dicentes: *Mulier quam de-*
disti mihi sociam dedit mihi de ligno & comedi: Serpens, decepit me &
comedi,

comedi, cap. III. v. 12. & 13. Contra *Tertium*, dum arborem vetitam, quæ quasi Templum Domini, & cultus divini sacrarium erat, sacrilegis manibus profanant, & verbum DEI flagitiosè contemnunt & quasi pedibus proculcant; rejiciendo ejus Verbum & contra Diaboli Verbum recipiendo. Contra *QUARTUM*, dum non obediunt, sed ingratiſſimi sunt erga Deum Patrem suum, à quo innumerabilibus beneficiis erant affecti, Nam *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si ergò pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus*, dicit Dominus, Malach. i. v. 6. & in specie gravissimè Eva peccat, quòd neglecto mariti consilio; tantum aggreditur facinus, edendo de fructu prohibito, & ut idem & ipse faceret eundem inducendo & suaviter invitando. Contra *QUINTUM*! Nam inter omnes maximè reus homicida est Adamus & Eva, dum se & posteros in animæ & corporis, temporalem & æternam mortem præcipitarunt. Non solùm enim sese, sed etiam omnes suos posteros, ac ita innumerabiles ferè myriades hominum, mortis imperio subjecerunt. Contra *SEXIMUM*, dum ex intemperantiâ, & libidine gulæ vetitum fructum rapiunt; & primævam castitatis gloriam amittunt. Contra *SEPTIMUM*, dum rapiunt rem prohibitam; alienam; & Dei similitudinem affectant, EAM quasi furtim auferre gestientes, & gloriam ejus alteri dantes. Contra *OCTAVUM* dum audiunt Patrem mendacii patienter: *Nequaquam morte moriemini*, dicentem; Et falsum testimonium Ejusdem approbant; ac patiuntur, Diabolum, DEUM calumniari, & criminari sibi, quasi majorem felicitatem invideret illis. Contra *NONUM*: dum non contenti sunt suâ & quidem pulcherrimâ Paradisi domo; sed etiam DEI domicilium affectant, similes ei esse & cælum scandere cupientes. Contra *DECIMUM*; dum pravæ concupiscentiæ se totos immergunt. Apparet igitur gravissimum omnium peccatorum, fuisse hoc factum: & quicquid unquam peccati apud homines fuit, aut erit, ex malo hoc fonte promanasse. Ut meritò & verè de isto dicatur, quod de omni peccato contra conscientiam admisso; comment. in ult. c. Genes. p. 677. dixit B. Lutherus: *Vide iniquissimas Davidis querelas in Psalmis, so sifestu was peccatum für Schaden thut. Est intolerabile onus, & virtus planè Diabolicum.* Et quod de preciosissimo *λύτρο* pro hoc & totius mundi peccatis consummatè à Salvatore nostro præstito, ibid. p. 676. dicit: *Tanta nimirum medicina & salus requiritur, pro peccato, expiando; Divinitas incarnata*

carnata, & sanguis ipse Filii Dei. Quòd igitur, ut refert Theodoretus: *Quaest. 37. in Genesin p. 11. execrandus ille Marcion dixit; Praemultâ incundiâ DEUM paucular: ob escam Adamum & ejus posteros, penâ mortis affectisse: illius blasphemiae adscribendum est. Nam Adam; ut ibidem Theodoretus loquitur, acceperat Legem levissimam. Omnis enim generis fructuum Deus illi dederat copiam, unius tantum esu interdixerat. Non igitur modica est haec transgressio. Primum enim de eo sumserunt, de quo solo sumere prohibiti erant. Et ut rursus dicit: Dederat ei plantarum omnium potestatem, unius solius manducationem prohibuerat; ille verò reliquis omnibus praetermissis, ex hac primâ & solâ Arbore fructum decerpit. Ex his etiam patet, quanta STULTITIA fuerit Johannis Baptistae Van Helmont; qui in *Ortu Medicinae*, Amsterodami, Anno M. DC. XLVIII. edito, Pag. 655. n. 49. statuit: *Solam carnis luxuriam morrem causatam fuisse.* Nam Pag. 641. n. 1. dicit: *DEUM ex suo beneplacito Evam creavisse, destinavisseq; ut esset totius humanitatis futura mater, suas conceptura proles, non quidem ex copulâ carnali, ac brutorum more, neq; ex concupiscentiâ carnis, aut voluntate viri, sed ex DEO sive ex obumbratione solius S. Spiritûs, per modum quo concepta sit & nata humanitas, in qua & per quam regenerari oportet omnes salvandos. Id est, manente matris virginitate integrâ, & utero clauso, inquit, peperisset absq; dolore, enatq; Eva constituta supra virum.* Et Pag. 654. n. 46. scribit: *At saltem cum Eva facta sit de costâ viri, id ipsum innuit notam pudicitiae, vetitamq; carnis copulam: quippe quae incestum, praeter stuprum continebat, quod nec Adamû latebat; de quo tamen Omnipotens post peccati lapsum dispensasse visus est, concedens matrimonium. Ac cit. n. 49. m. 6. ex mero delirio scribit: Ac demum illam potius, ad patranda suam sedivitatem ad arbusta deduxit, quàm ob tegmen pudoris. Poterat siquidem ficulneis frondibus pudorem texisse, & absconsonem per arbusta neglexisse, si non habuisset simul corruptae castimonie signa. Haec iste Helmontius; qui in his rebus Scripturae, stultissimè cespitavit & deliravit. Nam 1. Falsum est, Humanum genus ex solâ Evâ, non per copulam sed per obumbrationem solius Spiritûs Sancti propagandum fuisse. Cur enim utrique dixisset Dominus: *Crescite & multiplicamini Genes. 1. v. 28. 11.* Falsum est: *vetitam fuisse carnis copulam; quoniam Eva fuerit ex costâ edificata; & ita copula ista, praeter stuprum incestum continuerit. Nam unde hoc probat? Reclamat benedictio divina loco citato. Et utcunq; Helmontius convasaverit & inuitâ & media & finem inaudita*
sua**

ſue Phyſicæ; & *Ortum univerſa ſua Medicina* adhibuerit: tamen nunquam curabit morbum hujus carioſæ & Gallicâ nive frigidioris conſequentiæ: *Eva facta fuit de coſtâ Adami*: E. copula carnis Adami & *Eva*, præter ſuprum, continuit inceſum. III. Falſum eſt; *Protoplaſtos in hunc finem ad arbuſta ſeceſſiſſe, quem iſte ſtatuit*. Nam à facie Domini ſe abſconderunt, *Genef. III. v. 8.* Reclamat quoque verſic: *Capitis IV.* Unde etiam *IV. Falſiſſimum* denique eſt; ut ibidem collegit: *Ob admiſſam turpitudinem Adamum in exilium fuiſſe ejeſtum; & Solam carnis luxuriam mortem cauſatam fuiſſe*. Nam; Quodnam Protoplaſtorum peccatum, & quàm gravè iſtud fuerit, ex dictis ſatis patet.

XXVI. II. *Apertionem oculorum*, quod concernit; de quâ Moſes I. cit: *Et aperti ſunt oculi amborum*. iterum eam pulchrè expoſuit, doctiſſimus Pater *Auguſtinus*, Tom. III. edir. *Plant. Lib. XI de Genef. ad Lit. cap. 31. pa. 291.* *Aperti ſunt oculi amborum. Quomodo inquit, niſi ad invicem concupiſcendum ad peccati pœnam carnis ipſius morte conceptam, ut jam eſſet corpus mortis, in quo lex in membris repugnaret legimentis. Neq; enim clauſis oculis facti erant, & in Paradifo deliciarum cæci palpantesq; oberrabant, ut vetitum lignum etiam neſcientes attingerent, palpantesq; fructus prohibitos ignomndo decerperent: Sed ſcriptura uſa videtur verbo tranſlato, ut apertos diceret oculos, qui & antè patebant. Apertos utiq; ad aliquid intuendum, & cogitandum, quod antea nunquam adverterant. Sicut Evangeliſta *Luc. 24. v. 31.* dicit: *Aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum per quem viam non cognoverant, non uſiq; clauſis oculis ambulantes, ſed eum cognoscere non valentibus. Mox ut ergo præceptum tranſgreſſi ſunt intrinſecus gratiâ deſerente, omninò nudati in ſua membra oculos injeſcerunt, eaq; motu, quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti ſunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent. Nam ſi non peccaſſent, æqualia eis fuiſſent omnia membra, & membra generationis fuiſſent, ut facies & manus, quæ non libido ſed voluntas in ſummo decore, in ſummâ caſtitate moviſſet. Videatur *Mercerus* in h. l. p. 50. Item: *Eucherius*. Cum quibus conveniunt, quæ tom. I. Homiliâ XV. in *Genefim. p. 93.* ſcripſit *Chryſoſtomus*: Neq; enim, inquiens, eſus ex eo ligno, oculos illorum aperuit, Nam & ante eſum videbant. Sed quia guſtus ille inobediencia erat argumentum, & prævaricatio mandati à Deo traditi: ob quam poſtea ablata eſt gloria, quæ illos circumdabat, quia ſe indignos tali honore fecerant: propterea ſcriptura morem ſuum obſervans inquit: *Comederunt, & aperti ſunt oculi***

culi amborum, & cognoverunt, quòd nudi essent: Nudati propter peccatū,
• superna gratia amictu, & sensibilis sua spoliationis sensum acceperūt, ut per
• erubescētiā, quæ invadebat ipsos; certò scirent, in quantā ruinā ipsos
• adduxisset mandati Dominici prævaricatio. Et quæ Theodoretus habet,
Quæst. 33. in Genes. p. 10. Quòd etiā ante esum non habebant oculos clau-
sōs: satis constat, iis qui volent attendere. Quomodo enim mulier lignum
vidisset, & cibo pulchrum, & oculis gratum atque formosum (id enim licet
intelligere) si non habuissent oculos apertos? Vocavit igitur divina Scriptu-
ra sic, sensum illum peccati: Mox enim post admissum peccatum stimula-
tur conscientia.

XXVII. Per istam igitur apertionem oculorum, non intelligitur Boni
alicujus, & quidem majoris quàm antea habuerint, acquisitio, ut eis æ-
quivocatione sua fraudulenter Satan persuaserat: *Viderit enim quem-*
admodum dixerit serpens, Aperientur vobis oculi. Hoc enim eum scriptor
libri dixisse narravit: in quā verò significatione, vel sententia dixerit, *Le-*
ctori considerare permisit. scribit iterum August. cit. lib. II. de Genes. c.
31. p. 271. Sed Boni amissi animadversio: ut rectè dicas cum Theodoro,
Rungio, Gesnero, Gerharδο & aliis: Oculorum apertionem Scripturam no-
minare τὴν μετὰ τὴν διαγωγὴν αἰσθησῶν, *Ser sum peccati.* Orbati enim Ju-
stitiā originali, & corrupti mente & corpore vident se nudos esse, &
quā corda peccato corrupta ardent pravis affectibus, agnoscunt fax-
ditatem & miseriam suam: ut in Genesin commentatur p. 175. Rungius.
Hæc igitur apertio oculorum, admissi sceleris & summæ miseræ ani-
madversio fuit. Nam ante lapsum, *nihil putabant velandum, quia nihil*
senferant refrenandum, ut August. de Genes. ad lit. Lib. I. cap. I. p. 265. lo-
quitur. Et ut Chrysostomus scribit, Homil. XV. in Gen. p. 87. *Quod sum-*
ma & caput est aliorum beneficiorum, donavit illi, ut ab omnibus curis &
solicitudinibus corporis liber esset: neq; ullis vestium indumentis, neq; alio
aliquo indigere illum permisit: Sed quasi Angelos terrestres super terram
versari voluit. Post lapsum autem hæc omnia inturbata fuerunt per
peccatum, & profundissimam Naturæ corruptionem: Et hujus corru-
ptionis & peccati commissi animadversio, vocatur à Mose,

apertio oculorum!

Atque Tantum de ARBORE SCIENTIÆ
BONI ET MALI.

FINIS.

153 044

ULB Halle

3

003 484 998





5b

ATB 153 044

VD 17







QUOD DEUS BENE VERTAT!
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
ARBORĒ SCIEN-
TIÆ BONI ET MALI,

Quam
AUCTORITATE
Plurimum Reverendæ, Amplissimæ & Spectatissi-
mæ FACULTATIS THEOLOGICÆ in almâ
Salanâ;

PRO LOCO
In EADEM ritè consequendo
Majorum More
Publicè ventilandam

Ad Diem 22. Septembris Anno M. DC. LII. proposuit
CHRISTIANUS CHEMNITIUS,
S.S. Theol. D. & P. P. ut & Ecclesiæ ibidem & Dicc-
eseos tum temporis Vice-Pastor & Vice-
Superintendentens.

RESPONDENTE
M. ABRAHAMO ERZLERI
Crimmicia Misnico.
EDITIO TERTIA

JENÆ.
Typis JOHANNIS NISII,
ANNO M. DC. LXIII.